



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

In festo S. Martini Episcopi. De Euangelio, & de vita eiusdem

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](#)

perando diuinæ vocationi, talentisq;  
acceptis strenue utendo, per assiduum,  
indefessumque studium iudicis profi-  
ciendi in maiore animæ puritate, in  
virtutum soliditate, in vnione cū Deo,  
suxq; voluntatis cū diuina conforma-  
tione. Congratulatio, zelus imitandī.  
III. Abyssum diuinæ liberalitatis in  
singulorum sanctis desiderijs & cona-  
titibus abunde supra condignum remu-  
nerandis : In præfenti quidem tanta  
abundantia peculiarium gratiæ auxi-  
liorum, fauorum, solatiorum : In fu-  
turo vero tanta inæstimabilium super-  
fluentia essentialis gloriæ præmiorū,  
accidentalium gaudiorū, & variarum  
laureolarum. Congratulatio, Dei glo-  
rificatio, spes & desiderium similis re-  
tributionis eximio studio perfectio-  
nis promerendæ.

---

In Festo S. Martini Episcopi & <sup>ii. Non.</sup>  
Confessoris.

De Euangelio Luc. 12. De lumbis pra-  
cingendis vide supra in Festo S. Nicolai.

De vita eiusdem S. Martini.

I. Expende modo consueto, quam  
misericorditer B. Martinus ab æ-  
terno

terno à Deo prædestinatus sit ad tantam gloriam per tam suauia media promerendam : quām efficaciter ad veram fidem, inuitis licet parentibus paganis, fuerit vocatus, & decennis in Catechumenorum numerum adscriptus, ex profana militia, ad sacram cœlestemq; traductus, & natus 18. annos in Christo per baptismum renatus, à S. Hilario in Acolytorum numerum redactus, tandem ad Turonensem cathedralē euctus sit, totque peculiaribus præuentus gratijs, quibus ad supremum sanctitatis culmen prouehetur. Congratulatio, Dei glorificatio, gratiarum actio.

II. Quām se liberalē vicissim erga tam liberalē in se Deum præstare concenterit, assiduo, feruenti & constanteri studio, exercitioque harum potissimum virtutum.

1. Profundæ humilitatis, ex qua famulo suo seruilia obsequia præstitit, honores & dignitates fugit, cineri incubans mori voluit.

2. Intimæ misericordiæ in pauperes, & compassionis erga affictos.

3. Ardentis zeli quam plurimos ab idolatria & amore mundi ad Christi cultum, amoremq; pertrahendi.

4. Exi-

4. Eximiæ denotionis, arctissimæq;  
cum Deo coniunctionis, ita vt ne mo-  
riens quidem inuictum ab oratione  
spiritum relaxaret.
5. Similis zeli martyrij & opprobrij  
Christi ex amore eius participandi, ita  
vt licet eius animam gladius non ab-  
stulerit, coronam tamen martyrij non  
amiserit.
6. Perfectæ resignationis in manus  
diuini beneplaciti, ex qua nec mori-  
timuit, nec viuere recusauit. Zelus  
imitandi.

III. Quomodo Deus illum vicissim  
glorificarit, In terris quidem tantam  
miraculorum gratiam illi cōcedendo,  
tam peculiari SS. Angelorum assisten-  
tia in fanis idolorum subruendis ad-  
iuando, in morte eorundem concen-  
tu recreando; In cœlis verò, eius ani-  
mam tot occurrentium Angelorum  
plausu excipiendo, tot tantisque pal-  
mis, aureolisque coronando: sacrum  
verò eius corpus tot prodigijs clarifi-  
cando, ipsumque veluti nitidissimum  
speculum religiosæ obseruantæ, exé-  
plar Ecclesiasticæ disciplinæ, Ideam  
Episcopalis præminentia, toci mun-  
do suscipiendum, colendum, æmulan-  
dumq; proponendo. Congratulatio,

gra-

gratiarum actio , spes & feruens desiderium exemplo eius ad eximum sanctitatis , gratiæ & gloriæ gradum contendendi.

In Festo Præsentationis B. V.

*De solemnitate eius oblatione in templo.*

I. **C**onsidera, posteaquam beata Virguncula, ætate quidem vix trimula, sed sublimissimorum mysteriorum notitia Cherulinos, & tenerimorum erga Deum affectuum præminentia Seraphinos longè excedens, se à parentibus precibus à Deo imperatam, diuinoq; seruitio consecratam cognouisset, quanto gaudio exultarit, quanto intimæ humilitatis & pietatis sensu, tam admirandæ Dei prouidentię & bonitati erga se suosque parentes gratias egerit, quanto desiderio ad diuinum seruitium anhelarit, quoties ingeminaret illud : *Quis dabit mihi penas sicut columba, & volabo, & requiescam?* Quanto feruore ad templum Domini, mox futura viuum templum Filij Dei, deduci à pijs parentibus flagitarit, nec flagitare donec impetrasset, destiterit idque feruentius, quo se suauius & efficacius à Spiritu sancto illuc inuitari, his

*Psal. 54.*